

(X 188 0458)

II

R
3860

Q. D. B. V.

FACULTATIS JURIDICÆ

p. t.

DECANUS
GODOFREDUS

Strauß/

Phil. & J. U. D. Pandect. Prof. Publ.

Potentiss. Elector. Saxon. & Sereniss. Princip.

Anhaltin. Servestan. Consiliarius &c.

Lecturis

Salutem plurimam dicit!

WITTENBERGA, Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

ANNO CL. IOC. LXXXIII.



JESU JUVA!

Nclytum & in omne ævum memorabile factum est , qvod de Lysimacho Lib. 15. Cap. 3. Justinus refert : magnô ipsum animô Regis , veluti Parentis, tulisse contumeliam . Ferocissimo enim Leoni jussu Alexandri Magni iste subiectus non maledicebat sævissimam statuenti pœnam nec in occulto criminabatur ; Sed periculo defunctus ipsum non secus ac parentem reverebatur & generosâ mente atrocem injuriam missitabat , secutus egregium illud monitum :

Ames Parentem si æqvus est , si alter , feras.

Qvô stupendô exemplô suô Lysimachus , Ethnicus qvamvis , majestatem Regum sacro sanctam esse , non asseruit tantum ; sed crudelissimas etiam tyrannorum actiones æquo tolerandas esse animo , præclarè monstravit . Censuit idem apud Cornelium Tacitum Lib. 4. Annal. cap. 8. Marcellus , bonos scil. Imperatores voto se expetere , qvalecunqve tolerare . Et Exemplô pereleganti sententiam hanc illustrat apud eundem Tacitu Lib. 4. Hist. cap. 74. Petilius Cerialis his verbis : *quomodo sterilitatem aut nimios imbræ &cætera naturæ mala; ita luxum vel avaritiam dominatiū tolerate.* Nam & si impias manus Imperantibus intulerint subditi , iisdem facinus non fuisse impune , veteres Annales diligenter curâ annotarunt . Percusorum Cæsaris ferè neqve triennio qvemqva amplius super vixisse , neqve suâ morte defunctum

ctum esse, Svetonius in Julio cap. ult. autor est. Damnati omnes, alias alio casu periit : pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet eodem illo pugione, quo Cæsarem, violaverunt. Pariter Galbae quantumvis hostis interfectores omnes conquiri & interfici jussit Vitellius, nec minus Pertinacis percussores capitali suppicio Severus damnavit. Ult taceam reliqua. Sicut verò ex modo dictis apprimè patet, Regnantium capita ipsis etiam Ethnicis, solo naturæ lumine præeunte, inviolabilia fuisse : ita obsequium istud & reverentiam exactius delineat sacer Codex ; cuius quidem sententias adducere in medium, in præsens nec vacat, nec attinet. Fecerunt id alii, qui genuinam majestatis causam elicuerunt & firmarunt, qui Joanni Miltono Regicidium Anglicanum in hoc seculo perpetratum propugnanti aliisque antea Monarchomachis masculè se opposuerunt. Quamvis vero Reges etiam degeneres ac in via ruentes solio hand deturbandos, vel plane occidendos esse, omnes qui Christianorum titulum præferunt, sacrarum autoritate literarum convicti, facile dederint, nihilominus non desunt, qui exceptiones hanc in rem commissi adhuc præsumunt. In quorum numero Johannes Jacobus Wissenbachius quoque collocandus venit : Siquidem ille Disputat. 4. ad Pandect. part. I. θ. 14. ita commentari non veretur : Princeps Legibus solutus est, L. Princeps 31. de LL. Legibus scil. civilibus : Divinis, naturæ, Gentium, & regni fundamentalibus (in quas inaugurationis tempore juravit) arctissimè obstringitur. Princeps populi gratiâ est, non populus propter Principem. Non ego quidem suaserim, pergit ipse, ut populus in Principem facile armatur, monet enim Apostolus etiam Dominis dutiōnis parendum esse. Sed sanè si calcatis istis Legibus veram affligat religionem, si regni fundamenta, omnibus modis evertere,

):(3

cone-

conetur, si in subditos & corpora & bona s̄aviat, omniumq;
ad eō scelerum immanitate se polluat, ille jam non dūxolos
solum; sed pene & utiq; exercitio Tyrannus est, & non omnino
injusta p̄ebet populo causam, adversus injustam vim se tuen-
di. Euge qvām bella prima Wissenbachii illatio est: Princeps,
divinis, naturæ, Gentium & regni fundamentalibus ob-
stringitur Legibus, ergo si iisdem contravenerit, subdit s̄ re-
sistendi eidem potestas conceditur! Unde verò hanc illi
habent? Neq;ve enim Regi majestatem populus dare cen-
sendus est, nec imperium personæ applicat; sed personam
potius imperio, qvod conferre, scil. destinavit DEus per-
sonæ mediante populo electæ. Atq;ve hinc soli peccant
Deo Reges, eiq;ve rationes reddere tenentur. Solus ille
in hos jurisdictionem habet & exercet. Solus castigat,
punit, deponit. Non firmius; sed elumbē æqvè seqvens
Wissenbachii argumentum est, Principem populi gratiā
esse constitutum non vice versa: ex quo hunc illi superio-
rem esse, idem procul dubio argueret. Propter pu-
pillum enim etiam tutor: propter discipulum Præceptor,
& propter ægrotum medicus constituitur & accersitur, qvis
tamen hos illis inferiores esse unq;am dixerit? Dum
porrò casus enumerat Wisenbachius, qvibus resistere, Im-
peranti qveant subditi, iterum nihil agit & fallit eximiē.
Qvamvis enim spernat divinas leges, violet conventiones
ante à se initas, religionem veram affligat, Regni funda-
menta pessundare conetur, in subditorum bona & corpo-
ra s̄aviat, omniumq;ve ad eō scelerum immanitate se pol-
luat Princeps; nullo tamen inde jure populus judex eva-
dit, nec ullibi executor à Deo contra Principem constitu-
tus legitur. Atq;vi & falsam intrudenti, veramq;ve profli-
ganti religionem Tyranno cedendum potius & exilium.
eli.



eligendum, qvam armis resistendum esse, ipsi nostri Lutherum secuti docent Theologi. In summa contra regnantium monstra unicum præscriptum remedium patientia est. Gravia & nostro scopo admodum congrua sunt verba Celeberrimi Dn. Ordinarii nostri Zigleri, qvæ Exercit. 7. circa Regicidium Anglican. pag. m. 153. habet & ita sonant: *Sits sanè Princeps libidinosus, sit adulter, sit homicida, raptor improbus, incendiarius, luxuriosus, prodigus, contemptor, Dei, apostata, sacrilegus, innocentis sanguinis effusor, fœdifragus, tributorum exactor iniquissimus, qvid hoc ad Te, cui subditi partes à Deo date sunt? Subditorum non est, nedum fidelium, ob edicta quædam & privilegia minus observata in Principem suum insurgere, Imperii jugum excutere, regni quietem turbare, exercitus conscribere, copias cogere, urbes munitionibus obvallare: Sed si qvid gravius in cumberet, ferendum, precibus apud DEum, Supplicationibus apud Regem enitendum est, ut fiat levius: obseqvio & fide demerendi sunt animi eorum, qui clavo assident. Non enim cuiuslibet libidini subjacet sacrosancta Principis maiestas, neq; fas est filio, violare Patrem, etiamsi omnibus suppliciis fuerit dignissimus, quandoq; videm nulla impietas vel scelus tantum sit, quod parricidio vindicari debeat.* Hæc, Ille. Interim ista quidem suo stare talo, ut ut plurimi concedant; tamen sunt haud pauci, qui obloqvendi & renitendi copiam faciunt subditis tum, quando eandem sub regni initium hisce ipsi permiserint Imperantes. *Qvam quidem clausulam adjectam commissoriam appellare, non nullis placet ejusq; tenorem Regis judicationem & depositionem, si iverit contra, involvere, rationibus bene multis evincere conantur. In Principis scilicet arbicio esse, num certo in casu obedientium judicio cervices submittere velit. Injuriam volenti fieri nullam.* *Quemlibet juri pro se introdu-*

troducto posse renunciare. Et pacta sancte etiam à Prin-
cipe servanda esse. Qvinimo fidem datam violanti ean-
dem pariter impunè frangi. Clausulam istam salutarem
Imperii ipsius collationi adjectam supervacaneam esse non
debere: qvin potius istius vim eximie restringere & limi-
tare. Continere ipsam casum, qvō populi potestas ha-
ctenus sopita se exerat iterum & adversus imperantem eva-
dat efficax. Neqve obseqvium nec reverentiam exigi ul-
terius posse à subditis, qvām ipsi promiserint. Pristinæ
potiùs libertati restitutos destituere & deponere posse Re-
gem, qui contraveniendo fidei datæ indignum se ipsum im-
perio fecisset. Sed clausulæ istius vim electioni Regis an-
nexam ad judicandi & deponendi potestatem haud per-
tingere, omnino qvidem existimamus, sed tueri senten-
tiā istam ac deducere ulterius meritò supersedemus: Si-
qvidem partes hasce occupabit Candidatus noster, Vir Ju-
venis Clarissimus AUGUSTUS COSELIUS, Witteber-
gens. conscripta super themate illo oratione inaugurali.
Potiùs ergo est ut hic abrumpamus & de Parentibus, stu-
diorum cursu, vitaqve ante acta ejusdem Candidati ex hoc
loco nonnulla more Majorum commemoremus. Lu-
cem aspexit primū Noster hīc Wittebergæ die 1. Mart.
Anno M. DC. LII. Patre Viro Nobilissimo & Excellentissi-
mo DN. HENRICO COSELIO, à Pezlinovez, JCto dum
viveret, per celebri, in Academia hāc Antecessore optimè
merito, Curiæ Electoralis, Scabinatus, & Facultatis nostræ
Assessore gravissimo, Senatoris qvondam in nova Praga e-
jusdem nominis, ut & Reipubl. istius Syndici tum qvoqvè
tertii Ordinis Supremorum Censuum Præfecti Filio, & Ma-
tre Lectissima fœmina, ELISABETHA, celeberrimi undi-
quaqve Viri Dn. Augusti Buchneri, Eloquentiæ & Poës. hic
qvoq; loci Professoris, Filia natu majori genitus. Qui qvidem

Pa-



iam à Prin-
iolanti ean-
n salutarem
am esse non
gere & limi-
potestas ha-
rantem eva-
m exigi ul-
t. Pristinæ
re posse Re-
e ipsum im-
ni Regis an-
haud per-
ueri senten-
demus : Si-
ter, Vir Ju-
, Witteber-
inaugurali.
ntibus, stu-
idati ex hoc
mus. Lu-
die i. Mart.
xcellentissi-
JCto dum
ore optimè
tatis nostræ
ova Praga e-
um quoqvè
Filio, & Ma-
rrimi undi-
& Poës. hic
Qui qvidem
Pa-

Parentes parvulum in pietatis pariter ac primarum literarum elementis erudiendum privatis tradiderunt Præceptoribus. Sed Patrem præmatura, proh dolor ! infanti adhuc præripuerunt Fata. Matris ergò solius curæ, satis sollicitæ, relictus Noster bonæ de se multum dedit spei. Jactis domi porrò lingvæ Latinæ rudimentis in ludum provincialem Grimmensem deportatus & per integros sex annos ibidem commoratus in Latina pariter & Græca literatura non exigua fecit spatia Logicæ & Rhetoricæ quoqve initia hausit, Clarissimorum Viror. Dn. Johann. Schutzii, istius Scholæ Rectoris, & Dn. M. Justi Godofredi Rabneri, tum temporis Conrectoris informatione potissimum usus. Habitâ quoqve istic loci oratione unâ vel alterâ & valedictoria demum discessit ac in Patriam hanc Academiam Anno M. DC. LXXII. redux animum primò ad Philosophiam Moralem, quam vocant, gnaviter appulit. Ducem hac parte potissimum sibi elegit Amplissimum & Excell. Virum Dn. Christianum Röhrensee / Phil. Pract. Prof. Publ. Affinem, Collegam ac Compatrem nostrum plurimum honorandum sibi elegit, cuius Collegiis quoqve privatis ad Hugonem Grotium de Jure Belli & Pacis, & ad Gvilielmum Grot. de Princip. jur. Naturæ &c. sedulus interfuit. Tum quoqve sub ejusdem Præsidio Disputat. de Obligatione civis erga civitatem proprio Marte conscriptam publicè, Auditorio applaudente defendit. Inter hæc Jurisprudentiæ studium aggressus Affini optimo Dn. Michaëli Friderico Lederero, J.U. D. & Inst. Jur. Prof. Publ. &c. qvondam celeberrimo Institut. privatim Interpretanti operam dedit. Isto autem beatè defuncto laudabilem alias visitandi Academias impetum cepit. Francofurtum ergò ad Viadrum Ao. M. DC. LXXV. præoptavit ac petiit, ibidemqve Viros Magnif. ac Jure Consultissimos Dn. Johannem Fridericum Rhetium, tunc temporis Facult. Jur. Ordinarium ac Antecessorem famigeratissimum, nunc verò Sereniss. Electoris Brandenburg. Consiliarium intimum, nec non Dn. Samuel Stryckium, J.C. & jam Facultatis illic loci Juridicæ Ordinarium audivit, eorumqve Collegia, Juridica tam Lectoria, qvam Disputatoria indefessò studio freqventavit. Annis uno vel altero

ibidem



QKTH.260

ibi peractis Wittebergam iterum se contulit ibiq; Nobiliss. ac Gene-
rosus Juvenis Joh. Christophorus Brand de Lindau, fidei & institu-
tioni ejusdē traditus eaqve provincia per quatuor & quod excurrit
annos ita functus Coselius est, ut in istum multum inde redundaret utilitatis. Interea temporis tamen nec sibi ipsi defuit Noster; sed
Jutorum Scholas cum publicas tum privatas per istud temporis spa-
tium assiduè visitavit ac præprimis Viris Magnif. Nobiliss. Consul-
tissimis ac Excellentissimis, Fautoribus Collegis, Compatribus Af-
finibus atqve Amicis honorandis admodum ac colendissimis, Dn.
WERNERO THEODORO MARTINI, p. t. Academiæ Rectori, Disputa-
tiones Joachimi Schnobelii feudales : Dn. Caspari Ziglero, Facult.
nostræ Ordinario venerando, Joachimi Stephani Compendium Ju-
ris Canonici : Dn. Wilhelmo Lysero, ipsas feudorum consuetu-
dines : Dn. Joachimo Nergero; b. m. Excell. Dn. Struvii Jurispru-
dentiam, Romano-Germanicam forensem & mihi Examen Juridi-
cum Scotani intra privatos parietes interpretantibus toto adfuit a-
nimo. Tum quoqve Dissertationem Juridicam de Successione
Heergewettæ, Geradæ aliarumqve rerum mobilium ipse elaboravit,
ac me Praefide in hâc Academia mense Majo Anno M. DC. LXXVIII.
publicè habuit, & in Cathedra jam tum temporis laudabiliter stetit.
Absolutô ita studiorum cursu, de præmio, summis nempe in utroq;
Jure honoribus conseqvendis, meditari cœpit. Qvapropter literas
non ita pridem petitorias Collegio nostro obtulit, quod qvidem lu-
bens annuit & qva postulanti. Ad tentamen, quod vocari solet;
admissus ita in propositis controversiis ac dubiis discutiendis se
exhibuit, ut dignum unanimi consensu judicaret ad reliqua speci-
mina subeunda idem Collegium nostrum. Craftinâ ergo die, DEO
dante, in Auditorio JCt. horâ IX. matut. de Clausula istâ commisso-
ria electioni Regis annexa verba facturus Candidatus noster in
concionem more conserto prodibit: à meridiè autem horâ III. po-
merid. L. in trib⁹ 13. ff. de Judic. lectione cursoria in eodem loco publ.
exponet. Ut verò Orationi isti solenni Rector Magnificus, Patres
Academiæ conscripti & reliqui Jurisprudentiæ æstimatores nec non
cives nostri in universum omnes adesse haud dedignantur, eâ qvâ
decet & reverentia & humanitate oro rogoqve. P. P. sub Sigillô
Jurid. Facultatis Dominicâ XVII. post Festum Trinit. die 30.
Septemb. Anno M. DC. LXXXIII.

long

HC





UV A!

in omne ævum memor-
est , qvod de Lysimacho
3. Justinus refert : magnô
Regis, veluti Parentis,tu-
eliam. Ferocissimo enim
alexandriMagni iste subje-
ledicebat sævissimam sta-
minabatur ; Sed pericu-
parentem reverebatur &
iam mussitabat , secutus

st , si alter , feras.
nachus,Ethnicus qvamvis,
esse,non afferuit tantum;
rum actiones æqvo tole-
nstravit. Censuit idem
Annal. cap. 8. Marcellus,
petere , qvalecunqve to-
tententiam hanc illustrat
cap. 74. Petilius Cerialis
ut nimios imbræ & cetera
iam dominatiū tolerate.
bus intulerint subditi,iis-
teres Annales diligenter
esaris ferè neqve triennio
neqve suâ morte defun-
ctum